



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Intramentorum facilis exactio, in judiciis referenda. 13

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

CAP. IX. Clerici, gravissimorum criminum rei, secundum Canonicas sanctiones puniendi.

Clerici, in gravissimis criminibus deprehensi, juxta Canonicas sanctiones puniantur. Expedi enim, ut, publice delinquentes & Ecclesiam Dei scandalizantes, publice quoque arguantur & puniantur. Quamobrem tales, vel à Nobis deprehensi, vel extra territoria Nostra per Magistratus capti, ac Nobis juxta sanctiones Canonicas traditi, dignam sui sceleris poenam recipient. Quod si tam grave fuerit, ut degradatione dignum sit, faciemus, ipsos curiæ tradi Seculari; ne Clericali privilegio gaudeant, quo se per flagitia reddiderunt indignos.

1 Tim. 5.

CAP. X. De Testamentis insinuandis, approbandis, ac exequendis.

In Concilio Moguntino sancitum est, ut hæredibus, qui jussa testatorum non adimpleverint, ab Episcopo loci illius, omnis res, quæ eis relicta est, interdicatur, cum fructibus & emolumentis; ut vota defunctorum adimpleantur. Quamobrem Procuratores Nostri Fiscales in Diocesi Nostra Colonienfi advigilabunt, ut Testamenta, maxime Ecclesiasticarum personarum, privilegii Ecclesiæ Nostræ majoris salvis, intra anni spacium executioni mandentur; utque intra idem tempus executores testamentorum legitimum calculum reddant. Quorum etiam Testamentorum insinuationem approbationemque intra triginta dies à morte Sacerdotis peti volumus atque obtineri, nisi rationabilis causa longiorem dilationem exposcat in præmissis. Dispiciet auter Sigillifer Noster, ut, si quid, in quempiam stultum aut jure prohibitum usum, temere relictum sit, in pium convertatur.

Ex Conc. Mog. c. si hered. de test.

CAP. XI. Bona Presbyteri, ab intestato defuncti, in piam causam convertenda.

Vbi Sacerdos Nostræ Diocesis Colonienfis mortuus est intestatus, Bona ipsius, præter Patrimonialia quæ hæredibus cedunt, deducto ære alieno & funeralibus, in piam causam, pro defuncti animæ salute, convertantur.

CAP. XII. Portio, quæ Archiepiscopo solvitur, minime gravis.

EA portio, quæ Nobis, uti Archiepiscopo, secundum rationem bonorum (extra quæ tamen Patrimonialia immobilia sunt,) deducto ære alieno, ex more & speciali conventionione cum Clero Nostro inita, debetur, nemini gravis esse potest; quod major Episcopo secundum Canonicas sanctiones portio, quam ea est quæ ex remissione nostra Nobis solvitur, debeatur.

c. Offi. de testa.

CAP. XIII. Juramentorum facilis exactio in judiciis refrenanda.

Multiplex illa & facilis Juramentorum exactio, quæ in judiciis Ecclesiasticis fit, Nobis probari non potest. Christus inter perfectionis hortamenta ponit & illud, ut in totum abstineamus ab omni jurejurando. Quo colore ergo consuetudo nunc passim jurantium in omni negotio excusari possit, non videmus, nisi aut gravitate negotii aut necessitate. Crebris juramentis raro deest perjurium; quod gravissime punit Deus. Quamobrem monemus Causidicos, ne tam faciles sint in exigendis malitiæ ac aliis juramentis. Comperit enim habemus, quosdam esse tam male Christianos, qui in re tam seriâ ludant, ac juramenta interdum exigant, quibus præstitis credere nolint. Ne dicamus, quosdam eò vesaniæ prolabi, ut jusjurandum exigant, quod malint suspicari, præstando violatum iri, quam vere reverenterque adhiberi. Quo laqueo quis perniciosior esse potest? Admonebit igitur Officialis Noster Causidicos atque alios, juramenta exigentes, ut ea, quæ judiciarii processus solemnitas necessario non requirit, remittant; utque memores sint, eandem manere poenam temere exigentem, quæ manet frustra præstantem juramentum.

Matth. 5.

Deut. 15.

CAP. XIV. Formula inquirendi hæreticos delineanda.

Qum hæresum ac schismatum in præsentiarum plena sint omnia, videbimur operæ precium facturi, si, communicato cum Inquisitoribus Apostolicis consilio, formulam quandam inquirendi, juri consentaneam, ac tantum negotium decentem, minimeque captiosam, præscribamus. Quamobrem ea de re Nostris Iurisperitis mandabimus.